Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



perfecta caritas foris mittit timorem: quia timor
penam habet Qui autem timet non est perfectus
in caritate Nos autem diligamus deum: quia deus
prior dilexit nos Si quis dixerit quia diligo
deum et fratrem suum oderit: mendax est Qui enim
non diligit fratrem suum quem videt: deum quem
non videt: quomodo potest diligere Et hoc
mandatum habemus ab eo: ut qui diligit deum
diligat et fratrem suum Gr. Ego dixi domine mi-
serere mei sana animam meam quia peccavi tibi ℣ Beatus qui
intelligit super egenum et pauperem in die mala liberabit eum
dominus Alla ℣ Domine deus meus in te speravi salvum me fac
ex omnibus persequentibus me et libera me Sm Lucam
Hi. t. Dixit d. l. d. s. parabolam hanc Homo
quidam erat dives: et induebatur pur-
pura et bysso: et epulabatur quotidie splen-
dide Et erat quidam mendicus nomine la-
zarus qui iacebat ad ianuam eius ulceribus
plenus cupiens saturari de micis que cadebant
de mensa divitis: et nemo illi dabat Sed et
canes venientes: lingebant ulcera eius
Factum est autem ut moreretur mendicus
et portaretur ab angelis in sinum abrahe
Mortuus est autem et dives: et sepultus
est in inferno Elevans autem oculos suos
cum esset in tormentis: vidit abraham alon-
ge et lazarum in sinu eius Et ipse clamans
dixit pater abraham miserere mei: et mit-
te lazarum ut intingat extremum digiti
sui in aqua: ut refrigeret linguam meam
quia crucior in hac flamma Et dixit illi abra